



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 60. Hydruntum recuperatum

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](http://urn.nbn.de/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Sacri. XV.
A.C. 1481

§. LX.

Hydruntum recuperatum.

*Onuphr. in
Sixt. IV.
Bzov. hoc
anno.*

Interim Alphonsus Neapolitani Regis Filius exercitum, Pontifex vero cladem Hydruntinis in auxilium submittebant, quæ copiæ Hungarorum suppetiis junctæ præsidiarios milites, quos Achmetes Bassa in urbe reliquerat, pact's deditionis legibus cedere compellebant. Referunt nonnulli, Alphonsum mille quingentos Turcas ex hoc præsidio retinuisse, datisque stipendiis eos suis signis adscriptisse, ut eorum opera adversus Florentinos, & Venetos, quibus bellum nuntiaverat, uteretur; Principes enim Italiæ vix metu Mahometis liberati, opportunam, qua Græciam recuperare, & durante Bajazetis ac Zizimi fratrum dissensione Turcas junctis viribus aggredi potuissent, occasionem usque adeo neglexerant, ut etiam mutuis inter se armis denuo certare cœpissent. Ipse quoque Sixtus Pontifex, pro Ecclesiæ libertate, ejusque jurium defensione, ut præsetulit, primo adversus Ferdinandum Neapolis Regem armorum societatem cum Venetis sanxerat; cum vero omnes Italiæ Principes adversus Venetos, quorum potentiam nimium augeri verebantur, conjurarent, ipse etiam summus Pon-

Pontifex foedus cum eis initum rescidit, Sæcul. XV.
 eosque gravissimis perculit censuris, quas A. C. 1481.
 ipſi flocci habentes per appellationem
 ad futurum Concilium eluserunt. Ni-
 hilominus per solidum biennium hoc
 bellum cum ingenti Italiæ periculo pro-
 trahebatur, tandem vero invito Pontifi-
 ce per pacem diremptum est.

§. LXI.

Oficia Curiae Romanae vñnum exposita.

Tot præliorum & bellorum sumptibus
 Curia Romana penitus exhausta, non
 solum nova tributa inducere, & vetera
 augere, verum etiam nova officia, quæ
 venderentur, stabilire compellebantur, ut
 tantis impensis diutius sustinendis par-
 eset. (*) Ergo rursum *Abbreviatores*,
 ut vocant, instituuntur, quorum officium
 olim a Pio II. erectum, nuper a Paulo II.
 ejus successore non sine gravi Platinæ of-
 fensione abrogatum fuerat. Creantur
 etiam *Assessores*, sine quibus nullæ confici
 tabulæ, nec lites continuari poterant;
 plura insuper alia stabilita fuere officia,
 ob quæ Viris probis, & solo scientiarum
 merito claris ad altiora gradum promo-
 vere

(*) Vide *Histor. continuat. Abb. Fleury lib.*
CXXIV. §. XLVIII.